



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.
Canonum Ordinarii Professoris**

Juris Canonici A. R.P. Paulo Laymanno Societatis Jesu Theologo SS.
Canonum In Alma, Catholica, Et Episcopali Universitate Dilingana
Professore Qvondam Ordinario, Prælectionibus Academicis Illustrati

Laymann, Paul

Dilingæ, 1673

Capitvlvm LXIV. Nicolao.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62587](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62587)

justificatorium inferat mandato, vt vel exequatur pars, vel si causam non exequendi habeat, compareat & proponat, tunc enim Iudex non censetur grauare, præcipiendo, quãdo pars mandatum declinare potest, legitimam exceptionem afferendo, ita sumitur ex hoc cap. ex quo colligitur, quòd habens legitimam exceptionem aduersus executoris mixti mandatum, ab eo appellari nõ possit, nisi prius exceptionem proponat, eoque non admittatur; tum ex hac causa, videlicet ob reiectam aut non admissam exceptionem appellari potest.

Obijcitur. Subreptio ipso iure inducit nullitatem rescripti beneficalis *c. 2. de filiis Presbyter. in 6.* in nostro autem casu notoria erat subreptio per confessionem partis, quod videlicet Canonatus à Papa in forma *Dignum* impetratus fuerit, eo tacito, quòd numerus Canonicòrum juratus sit; id enim si Pontifex sciuisset, non facillè Canonatum conferendo, Capitulum grauare voluisset, ergo frustra Honorius III. inquirendum esse ait, num forma appellationis legitime obseruata sit, cum, etiamsi appellatum non esset, Presbyter à petitione Canonatus remoueri debuisset.

Confirmatur, si ex confessione partis appareat, eam jus non habere, non est curandum, num iuris ordo seruatus fuerit, cum in re notoria iuris ordo non requiratur, *arg. 6. vl. de rest. sui. spoliator.* maxime verò si causa beneficalis sit, in qua plurimum potest Iudicis ordinarij officium. *arg. c. Oblata. 57. h. t.* ergo Pontifex rescripti impetrationem statim irritam declarare, & impetranter repellere debuisset, & non causam appellationis cognoscendam mandare.

Respondent *Abb. Franc.* & alij post *Ioan. Andr. h. c.* quia hoc loco coram Iudice appellationis, videlicet Pontifice, actũ non fuit, per viam nullitatis, dicendo rescriptum esse subreptitium ac irritum, nec executioni mandandum. sed per viam appellationis, idèd eius formalia probanda erant, videlicet: appellationem modo legitimo fuisse interpositam. Interim verò tametsi Capitulum in probatione succubuisset, vel

appellationem deseruisset, nihilominus tamen per viam nullitatis agere dicto modo potuisset.

CAPITVLVM LXIV.

Nicolao.

PARAPHRASIS.

Cum in Controuersia, quæ erat inter Abbatem & Conuentum S. Mariæ & militem Nicolaum, Monachi appellassent ad sedem Apostolicam, miserunt vnum ex fratribus Procuratorem dato mandato procuratorio duntaxat ad impetrandam delegationem causæ & alterius impetrationi partis contradicendum. Postquam verò Pontifex Cardinalem causæ auditorem dedit, & coram eo partibus presentibus Monachus mandatũ exposuit, Nicolaus petiuit, vt contra Monachos tanquam contumaces procederetur, & ad expensas condemnarentur. Quare hanc causam Honorius III. quibusdam delegauit hac forma: si cognouerint, quòd Abbas & Conuentus appellationi suæ terminum præfixerint, vt ipsos ad expensas condemnent, eo quòd milite, contra quem appellatum, causam personaliter prosequente, ipsi Procuratorem non sufficientem ad causam appellationis prosequendam miserint.

SUMMARIVM.

1. *Causa appellationis ad Curiam deuoluta, & parte personaliter non veniente, Procurator mitti debet cum pleno mandato ad prosecutionem causæ.*

NOt. vnic. Si causa appellationis ad Curiam deuoluta sit, non sufficit quòd appellans vel appellatus mittat Procuratorem ad impetrandum Iudicem delegatũ in partibus & contradicendum impetrationi partis alterius. Sed debet Procurator, nisi pars personaliter veniat, mitti cum pleno mandato ad causam appellationis prosequendam, alioquin principalis reputatur contumax, & in expensis condemnatur, De hoc *inf. c. Interposita. 20. h. t.*

cccc

CAPI-